

*Roberto d'Angiò, concede a
Guglielmo Ruffo e alla moglie
una rendita di quaranta once*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Roberto d'Angiò, concede a
Guglielmo Ruffo e alla moglie
una rendita di quaranta once*

1319-07-06

Roberto Dei gratia Rex Hierusalem, et Sicilie, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Focalquerii, ac Pedemontis comes. Generali Vicario Regni Sicilie Magistris Cartulariis, Procuratoribus, ac Officialibus aliis, ad quos spectat, vel spectare poterit quacumque distinctione vocantur per Provinciam Calabrie constitutis, presentibus et futuris fidelibus nostris gratiam nostram, et bonam voluntatem.

Intuitu optabilis Mulieris filie nostre Ducisse Calabrie Cambellane, necnon Guglielmo de Sinopolo fidei nostro Cambellano Caroli Primogeniti nostri Calabrie Ducis, et nostri Regni Sicilie Vicario Generali, Coniugi Cathalonie Damicelle ipsius Ducisse, ac eorum heredibus, et successoribus utriusque sexus, ex eorum corporibus descendentibus legitime natis iam et in antea nascituris videlicet. Declaramus gratiam ipsis factam Unciarum auri quatraginta ponderis generalis, assignando terras et bona feudalia in eodem Ducatu Calabrie, ... de demanio nostro non ... primum ad id et quomodo occasio obtulerit ... pacto adiecto ... quod si decesserint sine legitimis liberis, eisque non delictis et quatenus incommutabiliter perseverent ... quod dictis coniugibus, vel eorum heredibus, dum taxat attendenda usquam ad valorem annum predictarum Unciarum auri quatraginta. Volumus et iubemus efficaciter assignari nihilominus quia bona ipsa ipsis coniugibus, vel eorum heredibus, autoritate propria habere valeant, et illa quando extiterint autoritate huiusmodi capiantur. Dantes plenam, et concedentes plenam nostram autoritatem vigore praesentium. Itaque dicti coniuges, vel iidem sui heredes, postquam predistintum annum redditum in terra, seu bonis ipsis

fiscalibus fuerint assecuti, illa tamquam ex gratia nostra realiter possidere valeant. Quam quidem investituram vim, et efficaciam absque contradictione volumus obtinere; itaque si contingat ex nunc per oblivionem, vel ob aliam quamvis causam, terram, seu bona ipsa quod predicti coniuges, vel iidem sui heredes acceptarunt, et authoritate propria a nobis nostris heredibus, vel successoribus nostris alii fortasse concedi, secundum cui demum concessio fieret ipsis possessionibus previo assensu Realis traditio ipsis donatariis, suisque heredibus iam fiat, per hoc memoratis Coniugibus, ac eorum heredibus nullum preiudicium generetur, quando constat nostram iussionem valere, et gratia nostra in suo robore perseveret cum supradictis Coniugibus, et heredibus eorum; in his pro cuius via prevenientes solertiam, vel taciturnitatis astutiam de ipsa nostra scientia nullum volumus impugnationis obstaculum, aut diminutionis incommodum irrogavi. Volumus ergo, vobisque presentiam tenore mandamus exproparte, quod nostra gratia memorata Coniugibus, et eorum heredibus efficaciter observetur; quam tamen Generalis Vicarius si expedit mandare et facere, taliter observari. Vos Iustitarii, Magistri Portulani et Procuratores, seu Officiales quam primum aliqua terram, seu bona feudalia que de ipso mero nostro Demanio non existant in dicta nostra Provincia simul, aut sepius coniunctim, vel divisim rationabiliter ad predictae Curie nostre manus excidit, illa si, et prout predicti Coniuges, ac dicti heredes duxerint attendendo pro concurrenti quantitate valoris annui Unciarum auri quatragenta dicti ponderis generalis. Predictis Coniugibus, et suis heredibus per ipsorum pro eis Procuratori, seu Nuncio ab hominibus, et Vassalis eisdem iuxta dicti Regni Consuetudinem

assicurationis debita Sacramenta prestare, atque intendi et respondere de omnibus in quibus tenentur, et debent fideliter, nostras et quibuslibet aliis et aliorum Iuribus semper salvis. Significando nihilominus nobis vel dicto Vicario nobis absentibus per Literas huiusmodi terram, seu bona iam dictis Coniugibus, vel suis heredibus assignata, esse vigore nostre pagine, ac iussionem particularem et distinte, ut si forsitan bona eadem antiqua feuda extiterint de annuo valore illorum signanter mandamus inquiri, et valorem ipsum cum distincto servitium pro quantitate dictarum auri Unciarum quatráginta cognoscere, necnon predicta omnia curent annotari. Si vero bona eadem Feudum novum extiterint pro valore annuo, et sub meliori servitium in dictos registros cum donorum regaliū annotato, predictis Coniugibus, vel predictis suis heredibus assignentur, vi presentium in executionem quousquam ad totalem dictam executionem ipsarum annuarum Unciarum auri quatráginta penes dictos Coniuges, vel eorum heredes remanere volumus in antea valituros. Fieri volumus quatuor consilia, quorum uno vobis Iustitiario, altero Magistro Portulano, et Procuratoribus, seu Officialibus aliis ad quos spectat, retento debito ratiocinii tempore, alio predictis Coniugibus, vel dictis eorum heredibus, aut dicto pro eis Procuratori, vel Nuntio tradito. Tertium Venerabili in Christo Patri Ingeraimo Archiepiscopo Capuano, et Magistris Rationabilibus Magne Regie Curie nobiscum morantibus, et reliqui aliis Magistris Rationabilibus Neapolis residentibus ad cautelam in Archivo ipsius Curie observando. Has autem Literas tempore assicurationis eisdem assignari volumus in manus dicte nostre Curie lacerandas, et tunc privilegium nostrum in consueta, et debita forma fiat. Insuper vos

Iustitiarii, et Officiales aliarum Curiarum, alienationem permutas reddatis Literas, ne propter divisas officiorum Provincias in aliqua, vel aliquibus earum prout cautius, atque aptius facultas occurrerit dictarum quatráginta Unciarum est assignatio facienda de ipsis quatráginta unciis a vestrum aliquo pro veritatis ignaviam contingere, assignatio fieri geminata, aut ulteriorem quam ipsorum quatráginta Unciarum sit quantitas prefinita; salvis semper iuribus illorum quibus datum certas et similes Literas primitus habuisse.

Datum per Magistrum Mattheus Filomarini de Neapoli, vir illustris Professore Locumtenentem Prothonotarii Regni Sicilie Dilectum Consiliarium, familiarem et fidelem nostrum. Anno Domini millesimo trecentesimo nono decimo, die sexta iulii, predictae inditionis regnorum nostrorum anno undecimo.